

insistens , & qui eum secuti præstantes Theologi , non dubitarunt in iis rebus sanctitatem agnoscere , quas ritu publico Ecclesia veneretur . Sed libellator facem præbet Ecclesie , eique commonstrat , quamobrem , antequam nasceretur , sanctitate necesse fuit ornari Deiparam Virginem . Ne , inquit , inferior esset Jeremia , & Joanne Baptista . Ego vero luce clarius ostendam , argumentum hoc tuum nihil valere ; eamque afferam responsionem , qua vos uti soletis , cum argumentum pro illibato Conceptu ita ex Patribus promovemus : Joannes Chrysostomus , aliique Patres Mariam dicunt sanctiorem fuisse Cherubim omnibus , atque Seraphim : in istis autem non fuit originis culpa : igitur multo minus in Virgine : alioqui non esset sanctior . Ad hoc vestra responsio est , sanctiorem Angelis tum fuisse Mariam , cum donis gratie Divinae ornata est . Itaque Patrum verba amplitudinem gratie significare , non extensionem ad omne momentum , Quam id recte dicaris , non est discutere hujus loci . Ad argumentum jam tuum venio . Fuisset , inquis , Maria duobus illis inferior , nisi matris utero sanctitatem accepisset . Auctor es mihi , ut præfracte istud negem , respondeamque , tum illam demum altiore esse coepisse , cum visum est Deo muneribus eam suis luculenter ornare . Maturius , an serius , non refert . Ergo aliunde petendum est , re ipsa factum fuisse , cum esset adhuc in ventre Annae . Si ex Ecclesie auctoritate colligeres , quæ ortum Mariae publicè colit , nec potest errare , ubi cultum decernit religiosum , & sanctum ; sapientis Theologi more faceres . Sed Ecclesie te magnopere pungit , ac terret auctoritas . Quo te igitur vertes ? Ad verbum Divinum ? Verum in eo generales sententiae omnes homines nasci perhibent cum labe peccati (a) . *Quid est homo , ut immaculatus sit , & ut justus appareat nativus de muliere ?* Ab ea lege Joannes , & Jeremias disertis verbis excipiuntur . De Deipara nullum verbum . Nec vero dicere potes , per traditionem Apostolorum id in Ecclesiam

(a) Job. c. 15.